

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Ohm Albert Hein

Disputatio De Nuptiis

Rostochii: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730873501>

Druck Freier  Zugang



Kart.
Chr. Ohm (All.-A.-F. Klein)
R. U. im 1620. /b

DISPUTATIO
DE
NUPTIIS

Quan-
DEO ADJUVANTE
Alplissimo & Ctorum ordine approbante
In inclyta Varniana

PRÆSIDE
CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO
DN. CHRISTIANO O^HM
J. U. D. celeberrimo,

ALBERTUS A. F. HEIN,
Publice in Auditorio majori
EXAMINANDAM PROPONIT
ad diem 12. Augosti



ROSTOCHII
Typis JOACHIMI PEDANI,
ANNO M. DC. XX. 1620

DIE ANDERATIO
ANDERATIO
ANDERATIO
ANDERATIO

Georg

Die Adelakate

Die Simeonischen und anderen
Gesetze

zu weigern Aufzettungen

Praxis

Gesetzliche Gerechtsame und andere Gesetze

DR. OHRISTIANO DIEA



RODOTCHI

MAHIMI PEGAS

DR. OHRISTIANO DIEA

DE NUPTIIS.

THESIS PRIMA.

Nuptiæ a) sunt conjunctio b) maris c) & feminæ, consortium d) omnis vitæ e) divini f) & humani juris communictatio; easq; inter se contrahunt soli cives Romani qui secundum legam præcepta coeunt.

a) ab obnubendo sic dictæ olim enim in domum mariti adducenda matronæ ir symbolum pudoris & subjectionis certo velaminū genere obnubebantur, velat enim incedere cogebantur. Isidor. gloss. ad pr. Inst. de patria potest. Vvesenb. in Inst. in pr. de nupt. n. 1. b) Conjunctionem hic non tantum corporum intelligimus sed voluntatem & animorum. l. nuptias ff. de R. I. gloss. ad d. princ. Inst. de pat. pot. Borch. ad pr. de nupt. in Inst. Vvesenb. in Inst. de patria pot. numer. 2. c) dum dicimus maritū & feminæ matronæ excludimus que plurium est, queq; non immerito ē Repub. Christiana à sacratissimis Imperatoribus exsulare justa est. Forst disp. 5 quest. 9. d) Etsi hoc vocula consortium ut notat gloss. ad pr. de patria potest. in Inst. in voce nuptiæ, nonnunquam pro servili conjunctione sumatur, ut l. fin. C. de servis fugit. tamen hic tantum significat participationem omnī fortunæ quod ejusdem fortune & sorti consortes esse debeant. e) quod vero dicitur consortium omnis vitæ per id intelligimus quod dicit Imperator Iudividuam vitæ consuetudinem. Etsi enim divorcia olim fuerunt concessa, tamen ut notat gloss. ad d. pr. Inst. de patria potestate, debent matrimonia eo affectu eaque contabili intentione ut commune utriusq; votum sit perpetuo cohabitare, l. i. ff. de Iure dorium. Conn. lib. 8. comment. f) divini & humani iuri communictatio quid sit explicatur ab Imperatore Gordiano in l. adversus 4. C. de crim. expilata bed, dum dicit uxorem esse sociam rei humanae & divina domus quod

glossum remissive in d. l. adversus tum in l. i. ff. de reu nuptiarum ut & in d.
princ. Inst. de patria potestate rectissime sic explicat, quod debeant esse eorundem
sacrorū (ut apud gentiles) vel ejusde secta seu religiōis. Non enim fidelis cū in-
fidieli debet contrahere matrimonium, contractum tamen non dissolvendū sed de-
bent cohabitare, textus est expressus i. Cor. 7. u. 10. ii. & 12. quamvis dis-
sentiant Canonistæ. Forst. disput. 3. quest. 15. Per humani juris communicatio-
rem intelligit ICtus, quod forum mariti sortiatur, l. 19. ff. de Iuriū. & quod ma-
riti nobilitate splendescat, l. faminae 8. ff. de senator: & ponit in his verbis glos-
sa differentiam inter concubinatum & matrimonium.

I I.

Hæc vero legum præcepta requirunt ut contrahens
sit matrimonij, a) contrahendi capax b) nec vel natura
vel lege c) à nuptijs arteatur.

a.) matrimonij incapax est per rerum naturam Impubres & Castræus, hi
enim generare non possunt. Spadones tamen recte matrimonium contrahunt, ue-
qui generare possunt l. 6. in fin. l. 7. l. 38. § 7. ff. de edil. edict. Repudiari te-
men potest qui per biennium continuum ob naturalem imbecillitatem coire non
valuit l. in causis 10. C. de Repud. quod tamen biennium ad triennium extre-
sum Novell. 22. c. 6. quod & Iure Canonico verum est, c. 1. 33. quest. 1. Dis-
senz. hoc loco Pacius disput 2. th. 3. ubi purat impotentia coeundi impedire l. Cano-
nico matrimonium contrahendum & contractū non consummatum dirimere. b.)
matrimonij contrahendi incapax est per rerum naturā Furiosus quia natura con-
trahere non potest non enim potest consenire, contractum tamen furor super-
veniens non dissolvit l. oratione 16. § ult. ff. de Ritu nupt. l. 8. ff. de his qui sui-
vel alien. jur. quod tamen non in eo obtinet qui dilucida intervalla habet. Is
enim & judex esse potest. l. 39. in pr. ff. de Iudicij. c.) Lege prohibentur
presbyteri, diaconi subdiaconi & omnes clerici, exceptis tamen cantoribus &
lectoribus, hi enim possunt ducere nisi prius monasticam vitam fuerint amplexi,
Nov. 5. c. 8. Non tamen lectores ad secundas; nisi ob irrecusabilem necessi-
tatem; nuptias venient, & tunc nunquam ad altiorem accedent gradum, quod
si altiorem nibil minus affectarint omnino sacro ministerio cadent, ad tertias
vero venient nequaquam, Nov. 6. c. 5. Tum etiam monachi licet nec dum sint
in sacro

in sacro ordine constituti probibentur d. novell. s.e.8. Possunt tamen & Monachii ex dispensatione Papae contrahere matrimonium, quod tamen Papa non nisi de gravissima causa concedet Panorm. in c. cum olim ext. de cler. conjugatis numer. 5.

III.

Tum etiam requiritur ut contrahens sit, sui juris, sive paterfamilias aut si filiusfamilias a) sit consensum b) eorum habeat c) quorum in potestate d) est, adeo quidem ut jussus eorum praecedere debeat.

a.) si filiusfamilias, non ergo si filius tantum sive emancipatus uero enim emancipatio sui iuri effectus l. 25. ff. b.t. Atqui eum tamen stringit adhuc ratio naturalis? Ea vero an honestatis sit an necessitatis controversiur: putem necessitatem esse & iure naturali parentum consensum de necessitate requiri, Hoc non disp. 2. quæst. 3. Först. disp. 2. quæst. 19. Dissent. Contius 1. subse. lect. 4. Non tamen idem quod in filio emancipato in filia quoq. emancipata obtinet sed aliud receptum in hac enim si minor sit 25 annū non tantum patris consensus sed si uero defunditus sit etiam matris & propinquorum consilium requiritur, b.) sive racitum sive expressum l. 7. § 1. ff. de sponsal. l. si ut proponit s. C. de Nuptijs. Si enim pater servit nec contradixit consensisse videtur, paria enim sunt non contradicere & consentire in eo qui contradicendo impedimentum creare potest, Vesenb. in Inst. hic. n. 4. c.) quid uero si haberi non posuit para ob absentiam & tum siquidem norint ubi parens agat ejus redditum aut consensum litteris testatum præstolentur, bin ignorent ubi terrarum agat & superest sit nec ne triennium exceptent, quo elapsi si nec dum de patre constet licet ipsi matrimonium contrahere, l. 10. ff. b.t. quin, & ante triennium ducere uxorem vel nubere possunt dummodo illi personæ jungantur quam certum sit patrem non repudiaturum. l. 11. ff. b.t. Et hic parentum consensus etiam de iure Canonico est necessarius, textus sunt expressi c. si verum 31. q. 2. e. aliter c. nostrates can. qualib. 30. q. 5. c. non omnis § paterno, can. honorantur c. hoc sanctum §. 1. 32. quæst. 2. e. vidue si prius quam 27. quæst. 1. Dissent. hoc loco Canonistæ ut iradic Coras. 1. miscell. c. 17. n. 3. 4. 5. 6. d.) aut recasurum est, nam in nuptijs nepotu non tantum auct. sed & parentis consensus requiritur, nepis vero si nubat voluntas & auctoritas

A 3

av

api sufficit l. oratione §. 1. ff. b. t. An vero tutorum consensus requiritur? Non puto 1. enim quamdiu sub tutela sunt nubere non possunt, 2. nominatum sit mentio consensus non tantum quorum in potestate sunt sed parentum quorum in potestate sunt adeo ut etiam hæc verba jure civili excludant necessitatem maternum consensum requirendi. Sed nec curatorum: Ad officium enim curatoris administratio pupilla pertinet, nubere autem suo arbitrio pupilla potest, l. 20. ff. b. t. e.) Nor ergo sufficit ratihabitio & conjugium tamdiu pro illegitimo habendum donec patria consensus accedat adeo quidem us & liberi ante ratihabitum nati sint illegitimi nec subsequente matrimonio legitimentur argumento l. eos qui 6. 5. § 1. ff. b. t. l. 13. § 6. ad l. Iuliam de adulterijs, & per eisdem expressum Inst. hic.

I V.

Et hic parentum consensus sic est de jure nostro necessarius ut non tantum neglecto eo poenæ in justarum nuptiarum a) patriæ potestatis temeratorem maneat sed & aliæ jure nostro proditæ. b)

a.) velut ut pro illico coitu habeatur nec liberi sint legitimi nulla dos nulla sit donatio propter nuptias § si adversus ea Inst. b. t. b.) scilicet ut filius aut filia eam ob causam exhibere dari possint si ante 25. etatis annum inscijs patribus nuptias contraxerint, vel si postea etatem hominibus non liberis se junxerint & turpiter aut luxuriosè vixerint Novell. 115. c. 3. Hænon. disp. 2. th. 11. Phil. Decius in l. nuptias ff. de R. l. n. 8. quamvis addat id l. Canon. non obtinere. idq; sequendum, sed putem separandam causam matrimonij esse quæ spiritualis est in qua causæ canones sequimur à causa exheredationis quæ civilis est. Preter hæc pater filiam datur non tenetur, quæ dote se reddidit indignam propter injuriam patri illatam maximam, textus est expressus in §. pen. Inst. b. t. Hænon. d. disp. 2. th. 12. Non tamen datur licentia patri tale conjugium obtenu patriæ potestatis turbare & petere filiam sibi exhiberi sed persuadendum patri ne severè patriam potestatem exerceat, l. i. ff. de liber. exhib. Sunt. quod tamen ita intelligendum si non habeat graves dissensus causas. Si enim graves causas habeat putem omnino fieri debere ne multa inde absurdâ sequantur, nec qui vñ scurra honesti viri filiam ad se alliciat & q. furetar Cethm. conf. l. n. 198, & seq.

Hoc

V.

Hoc amplius requiritur ut ei jungatur cum qua matrimonium contrahere non prohibetur a) Prohibitio-
nis autem causæ postissimum sunt quinq; i. Cognatio b)
2. Adfinitas 3. Delictum 4. Officium seu potestas, &
5. Honestas.

a.) præsupposito tamen hoc ut & ipsa cum qua matrimoniam contracta-
tus est, sit matrimonij contrahendi capax, non sit Impubes, non monialis, b.)
eaq; tam naturali sive sit ex licto coitu veluti concubinatu, sive ex illico &
improbato (ideoq; ex tali coitu natus patria consanguineam ducere non potest.
Coras. i miscell. cap. 3. n. 1. & 2. cap. per tuas ext. de probat. nam & adfinitas
inde contrahitur quæ possit nuptijs impedimento esse cap. de illo, cap. super eo, &
cap. fin. ex. de eo qui cogn. consang. uxor. sue &c.) sive ex servili commixtione
nam & serviles cognationes impedimento nuptijs sunt § 10. Inst. b. t. aut legitima
tantum, velut quæ per adoptionem contrahent, quam legitima & natura-
lis simul. Hæc vero tripliciter in naturalem tantum (quam tamen jura civi-
lia ignorant ut infra dicetur) in legitimam tantum & naturalem & legitimam
distincta cognatio in linea quidem recta promiscue impedit nuptias. In linea
vero transversali illa & hæc ad quartum gradum æqualem exclusive ista etiam
ad quartum gradum in ijs adoptionibus quæ sunt legitime, id est, quæ adna-
tionis jus habent, quandiu vinculum adoptionis non solvitur eo vero soluto ne-
quaquam l. 12. § 4. hic.

VI.

In cognitione computanda considerandi sunt gra-
dus, a) Gradus vero est de proximo cognato in proxi-
mum transitus, quæ libet vero generatio b) facit gra-
dum unum.

a.) gradus autem dicti sunt ad similitudinem scalarum locorumq; procli-
vium quos ita ingredimus ut à proximo in proximum id est, in eum qui quasi ex:
illo nascitur transeamus l. 10. § 10 ff. de gradibus VVesenb. in par. ibid. num. 2.

b) Hæc

b.) Hec de I. Civili vera sunt quamvis I. Canonico diversum obtineat. Ibi non in linea ascendentis & descendenti id obtinet ut qualibet generatio faciat gradum unum sive quod perinde est tot sint gradus quos sunt personae dempta una, non vero in linea transversali. Ad brutam vero graduum computationem que in Iure Canonico est intelligendam duas potissimum D.D. Regulas tradunt, quarum prior que in linea transversali aequali obtinet ita habet. In linea transversali aequali quanto gradu a communi stipite distant eo gradu inter se distant de quorum cognatione queritur. Posterior que in linea transversali inaequali obtinet sic habet. In linea transversali inaequali quanto gradu remotior a communi stipite distat eo gradu inter se distant de quorum cognatione queritur. VVesemb. in par. ff. sit. de gradib. n. 10. & 12. Quae duæ Regulae ut universum illud computationis Canonicae mysterium recludunt, Ita abunde de Iuri Canonici fastiditate testantur. Nam ut de priore tantum agam ea statuit me a consobrino meo aut amitino aut patrueli eodem quo ab avo gradu distare, An non hoc vero ridiculum, Medium enim quo nos invicem juncti sumus est avus. Hoc medium vero ab utroq. extremorum aequaliter late distare ac extrema ipsa inter se distant dicere, quid est nisi communi rationi contradicere?

VII.

Adfinitatis a) quoq; veneratione a quarundam nuptijs abstinendum est.

a.) Adfinitas dicta q; unius cognationis ad alterius cognationis fines accessio l.4. ff. de gradibus sed quoniam 3. ff. de grad. Et adfinitas jure Civili, tantum sit ex nuptijs d. l. 4. § 3. & § sciendum 8. ff. de gradibus. Ejusq; nulli sunt gradus d. l. 4. § 5. Utrumq; contrarium obtinet iure Canonico nam eo & cognatio & adfinitas etiam ex illegitimo matrimonio ex incesto contum contrahitur per ea que dicta sunt i. tb. 5. Et gradus sunt adfinitatis iure Canonico, quos Canonistæ sic demonstrant. Primo gradu adfinitatis habentur ii. qui proprie sunt adfines, velut sunt coniuncti & alterius conjugis cognati. Sic viricus privigno vel privignæ ad finis est primo gradu, Alter gradus est veluti inter viricum & privigni uxorem vel privignæ maritum, Tertius gradus est velut inter viricum & privigni prædefuncti uxoris maritum secundum. Nempe primo junctus privignus, secundo privigni uxor, tertio privigni uxoris maritus secundus,

Adde

Adde etiam quartum mariti hujus secundi uxorem secundam, & quintum uxori
hujus secundae maritum secundum &c. Personae adjunctae per carnem copulam
sanguinei alterius inducit primum genus ad infinitatem persona: v. addita primo ge-
neri inducit secundum genus, & persona addita secundo inducit tertium, Pa-
norm. in cap. non debet ex. de consang. & ad fin. n. 6. b.) quae tamen se
non extendit ulterior quam ad primum ad infinitum gradum in primo enim tan-
tum ad infinitum gradu nuptiae prohibentur c. non debet ex. de cons. & ad fin.
quae tamen Regula duas limitationes recipit, Primo enim non omnes qui pri-
mo gradu sunt ad finis prohibentur, Quid enim? cognatus mihi est quinto gra-
du. Is meae uxori primo gradu ad finis est, & tamen me defuncto eam ducere
potest. 2. Obtinet haec in collateralibus non in ascendentibus nam in ascenden-
tibus etiam ultra primum gradum prohibita sunt etiam Iure Civili l. 15. ff. b.c.

VIII.

Ob delictum quoq; à nuptijs quarundam abstinendum est, veluti eam quam rapui uxorem habere non a)
possum Jure b) Civili, quemadmodum nec eam cum
qua adulterium commisi. c.)

4.) Nam rapta non potest maritum sibi exposcere raptorem imo nec po-
test inter eos constare matrimonium etiam volentibus parentibus. l. unic. §. 1.
vers. nec sit facultas. C. de raptu virg. Et cum Raptoris bona omnia tam
mobilia quam immobilia ad personam raptam pertineant si sit ingenua, si rapo-
ri rubat omnia haec amittit & applicantur haec bona parentibus si nuptijs ha
contradixerint, bi si defuncti sint fisco. Quin & ipsi parentes deportationis pa-
nam subeunt si in tale matrimonium consentiant. Novell. const. 143. b.)
Iure enim Pontificio si rapta sit parentibus restituta & pænitentia à raptore per-
acta matrimonium procedit c. fin. ext. de Rapt. & can. pen. 36. quæst. 2. c.)
cap. 12. Novell. 124. Iure tamen Pontificio potest nisi alter eorum in mortem
prædefuncti conjugis fuerit machinatus vel illo viuente alteri fidem dederit de
matrimonio contrabendo priore conjugi defuncto c. 3. & cap. 6. ext. de eo qui
dux. in mat. quam poll. per adult. Et si machinatus alteruter quid in mortem
conjugis fuerit, et si cum adultero jam contractum sit matrimonium id dissolvi-
tur atq; ita accipit Panormitanus verba ultima cap. 3. & haec probabilitio perpe-
tuo est

B

zuo est servanda. An vero sola machinatio sufficiat, an vero machinatio cum effectu, questionis est, Putem cum effectu accipi debere, gloss. in verbo machinaria d.c. ext de eo qui dux. Diff. Panor. d. cap. 3.n. 4. qui putat solam machinacionem sufficere. Quod si vivente primo alteri fidem dederit ei⁹ consueverit que ignorabat eum marium esse & cælibem putabat post defuncta priore eam copularit sibi, etiam volente adultero à secunda secedere non dabitur ei licentia cap. 1. ex. d. t. quod si scierit quidem & dederit tantum fidem non tamē cam polluerit sustinetur matrimonium cap. ult. ext. eodem.

I X.

Officium quōq; seu potestas veluti si quis Magistratus a) si tutor b) si curator sit nuptias impedit, Hæ tamen prohibitiones hodie non c) observantur.

a.) qui enim Magistratum in aliqua provincia administrat inde oriundam vel ibi domicilium habentem uxorem ducere non potest, quamvis sponsare non prohibeatur, ita scilicet ut si post officium depositum noluerit mulier nuptias contrabere, liceat ei hoc facere arrbi tantummodo redditū quas accepit l. 38. in pr. Et si contra mandatum contractum sit matrimonium, tamen post depositum officium mulier in eadem voluntate perserveret nuptiae pro justis. & ideo liberi postea nati ex justo matrimonio legitimi habentur l. 65. § 1. ff. h. t. Potest tamen in ea provincia filias suas in matrimonium collocare & dotem constitutre d. l. 38. § fin. Verum quis eadem ubiq; ratio, id prohibitum est & correctum l. un. C. si rector provinc. spons. deder. & Novell. Leonis 23. & intantum us nec domestici ejus, propinquai aut consiliaris id possint d. l. un. C. si rector provinc. nec filiae etiam d. Novell. Leon. 23. Ratio additur in d. l. unic. quod possit esse vel videri mulieri ejusve parentibus tutoribus curatoribus ve terribilis. Atq; hinc videre est matrimonia metu contracta non aliter esse firmata quam si post modum vitio metus sublatu liberrime iterum in illud consentiant. Quis vero metus sufficit? Certe ad imperrandam restitutionem in integrum non aliud sufficit quam qui etiam in constantissimum quemq; cadaret l. 5. & 6. ff. quod metus causa. Neg; enim solius potentiae dignitatisve timor sufficerit l. ad Invidi. in 6. C. de his q; vi metusve causa. Hic vero etiam metus solius potestate sufficit. b.) tutor enim & curator non potest pupil-

lam

lam vel adulstam in uxorem ducere quin nec tutoris curatoris ve filius suu et iam
in naturali sanguine alijs in adoptionem datus l. 60. § 7. nec adoptivus adoptio-
ne constanter l. 60. § 6. nec tutoris curatoris ve liberius l. 37. b. t. nec heres lucet
exitancus lib. 64. § 1. h. t. quin si arbitrium elocandi filiam marri conceferit
non potest mater tutorem eligere maritum l. 62. ff. b. t. quod si tutor sit liber-
tus & vel ipse vel filius ipsius ducat relegatur l. 64. ff. b. t. Potest tamen tu-
tor & curator axorem eam ducere post 26. annum quod si intra 26. annum du-
car potest adulterij accusari l. 7. ad l. Iul. de adult. idq; in tantum verum est ut
licet rationes administrationi sue reddiderit tutor non possit tamen ante consti-
tutum acutus tempus eam ducere, etiamsi ex alio matrimonio jam facta mater
sit l. 62. § 2. quod constitutum acutus tempus nempe 26. annorum nunc exten-
ditur de jure Iustiniane ad 29. annum argumento l. 6. C. de interd. matrim.
int. tut. &c. Atq; haec certa sunt in tuteore curatore & utriusq; filio. In
filia autem variat, nam & tutoris filia pupillo l. 64. § ule. Et curatoris filia
adulto jungi potest l. 5. C. de interd. matrim. Ratio differentia haec est quod
adultus sine ullo metu ratione rei sua ab uxore sua ejusq; hereditibus exigere potest
quod non obtinet in adulta. In quam non modo ob sexus debilitatem facile qui-
du metus cadere potest, sed & metus reverentialis erga maritum cadere debeat
quo certe rationes à marito exigere prohibetur. Sunt tamen quatuor casus
quibus etiam filius vel nepos pupillæ jungi potest. 1. est si desponsata à patre sit
2. si testamento destinata l. 36. ff. b. t. l. 6. C. de interdict. marr. 3. si avua
tutor nepotis ex filio emancipato uata sit & nepotis suo ex alio filio jungas l. 67.
§ 1. & 4. si diuinum impetraretur beneficium, l. 7. C. de interdict. matrimo-
nit. tut. c. Panor. in c. fin. n. 2. de sec. nupt. Ang. § sancti & alia b. t. rationem
addit. Panor. d. l. quod in spiritualibus sequamur ius Canonicum eo autem nus-
quam prohibitum reperiatur.

X

Quinto etiam honestatis publicæ causa à nuptijs abstinentendum est ut 1. pater abstineat à nuptijs adoptivæ filiæ emancipatae, 2. ut abstineam à nuptijs filiæ ex uxore mea post divorcium ex alio natæ, 3. ut sponsæ filij vel patris non jungar, 4. Ut non habeam in matrimonio

quam de sacro fonte suscepit, s. Ut senatoris filia abstineat à nuptijs libertini & t. Ut abstineam ab earum nuptijs quæ non quidem civiliter mihi sanguine junctæ sive cognatae sunt sed tantum naturaliter.

a) § 1. Inst. b. t. l. 14. in pr. ff. b. t. b) § 9. Inst. b. t. l. 12. § 3. c.) d. § 9.
Inst. b. t. l. si qua mibi 12. ff. § 1. & 2. ff. eod. d. cum nihil aliud sic inducere
possit paternam affectionem quam hujusmodi nexus per quem Deo mediante
animæ eorum copulatae sunt ut ait Iustinianus in l. si quis alumnam 26. C. b. t.
c. de eo 30. q. 1. & contrahitur spiritualis cognatio nedum inter baptizatum &
illum qui eum suscepit de baptismino ac inter eundem baptizatum & suscipiens
filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam eb. eodem, sed etiam
inter suscipientem patremq; baptizati & matrem, que cognatio & contrahendit
matrimonium impedit & dirivit post contractum d. c. de eo, & c. ad li-
mina 30. q. 1. & cap. 1. & cap. ult. ex. de cognat. spirit. in sexto. e. l. lege Pa-
pia 23. l. 27. ff. b. t. l. 28. C. eod. l. 7. C. de incest. nupt. idq; in tantum obti-
nent ut si duxerit libertinam senator ea non sit uxor nec prius uxorū loco habeat
quam amiserit dignitatem l. 37. ff. b. t. quod tamen non insilijs siliabwq; ob-
tinet scilicet ut patre se natu moto nuptia illorum convalescant l. 34. § 4. b. t. Et
licet libertina adoptetur ab ingenuo nihilominus repellitur à senatorijs nuptijs.
l. 32 ff. b. t. Et non tantum vult & cum ut Senator sed & ut ejus filia filius
nepos neptijs ex filio pronepos proneptijs ex nepote ex filio nato natus à nu-
ptijs non tantum libertini sed & ejus qui quæve cujusve mater paterve artem
ludicram facit fecerit ve, avum tamen fecisse non obstat l. 44. in pr. & § 1. & 2.
quod si tamen senatoris filia corpore quæstum fecerit vel artem ludicram exer-
cuerit potest liberti nuptias sequi l. 47. ff. b. t. Hæ vero leges per Novell. 78.
c. 3. sublatæ sunt ut liceat nunc & sublata l. Papia senatori libertinam ducere.
Glossa in d. Novell. 78. c. 3. Auth. sed novo C. b. t. ubi addit rationem hanc
quod dederit Imperator libertinus iuu ingenuitatis, quemadmodum ergo licet
jungi ingenuis ita & libertinis, eos enim nunc fecit ingenuos. Cujac. d. l. &
lib. 4. obser. c. 5. f.) Notum enim est lare civili nullam contrabi vel affiniatem
nisi ex legitimijs nuptijs l. 4. § 3. & Scientiam 8. ff. de gradib. At quin. nuptias
tamen etiam ob illicitum coitum prohiberi arguit l. 4. C. b. t. Itaq; necesse est (quod
& ipsa lex in verbis minus religiosam & probabilem rem facere iunxit) bone-

statu contemplatione eas prohiberi. Coras. i. miscell. quæst. c. 3. Atq; ut uni-
versam hanc prohibitionum materiam paucis comprehendamus.

Ætas conditio numerus monachatus & ordo.

Optio nobilitas sanguis tutela potestas

Fons sacer adsinitas rapta repugnat honestas

Irrita quæ faciunt connubia legibus hæc sunt.
glos. in § ph. sum & alia u. Inst. b. t.

X I.

Si quis vero his prohibitionibus susq; deq; a) habi-
tis contra dictas Regulas matrimonium contrahat in pœ-
nas inutilum nuptiarum incurrit.

a.) id est si scienter impingat aut ex ignorantia iuri l. pen. & tot. tit. de
Ignor. iur. & fact. paria enim sunt scire & scire deberet quod res si ceterū per.
quamquam pœnam error iuri mitiget l. 38. § 1. ff. de adul. & cap. 1. Nov. 12.
ibi si legem scierit &c. ignorantia autem facti excusationem quoad legitimati-
onem liberorum habet, cap. ex tenore ex. qui filii sint legit. b.) ex sunt
1. ut nec vir nec uxor nec nuptiae nec matrimonium esse intelligatur § si adver-
sus. Inst. hic, quod enim contra leges sit id non solum effectu caret sed etiam
nomen non meretur l. ult. C. de sentent. ex peric. recit. 2. Nec dos nec do-
natio propter nuptias consistat, d. § si aduersus, & l. 4 C. de incest. 3. Liberi
ex hujusmodi coitu suscepti non sint legitimi nec in potestate patrum. In patris
enim potestate demum sunt liberi qui ut Imperator ait ex justis nuptijs, vel quod
ait VVesenbeccius opinione saltem justi procreati sunt. Et cum legitimæ nuptiæ
factæ sunt patrem liberi sequuntur l. 19. ff. de statu hominum, 4. Liberi ex
hujusmodi coitu suscepti non solum non succedunt patris sed nequidem alendi
sunt iure civili Nov. 89. c. ult. quamvis iure Canonico eis alimenta debeantur
c. 5. ex. de eo quidux. in matrim. quam poll. 5. Filii legitimi qui sunt
liberantur à potestate patria Nov. 12. c. 2. 6. Contrabentes sunt infames d.
Nov 12. c. 1. 7. Bona confiscantur nisi sint filii legitimi quibus applicantur ea
lege ut patrem alant. Nam licet legum contemptor & impius sit, tamen pater
est, d. Nove. l.2. c. 1. & 2. 8. Exilium irrogatur & 9. Verberatio accedit si vilis
sit

se persona d. Nov. 12. c. 1. Cessant tamen ha^{ec} pena si errore acerrimo non affe-
ctato insimulatore neq^{ue} ex vili causa decepti sint aut etatis lubrico lapsi quos ta-
men ita demum legum laqueis eximi placuit si aut errore comperto aut ubi ad
legitimos annos per venerint conjunctionem hujusmodi sine ulla procrastinatione
dicterent l. 4. C. de Incestis nupt. Et deniq^{ue} Pena quarta & sequentes ex
communi opinione quam hoc loco Pacius citat ys demum infliguntur qui nuptias
Incestas luringentium & divino contrarias non qui iure statutario & positivo
illicitas contrahunt, facit cap. 1. Novell. 12. qui illicias & contrarias natura.
Et tantum de matrimonio quod bene contractum non nisi morte & divortio, eoque
ob sobam adulterij causam facto, exploso gemitili illo & barbaro ob leviusculam
causam divertendi more, dissolvitur.

COROLLARIA.

I.

An, si ab alio compressam ignorans mihi despon-
sarim postmodum id compererim, matrimonium sit dis-
solvendum. A.

II.

Pacta quæ insunt ita tollunt obligationem, ut ne qui-
dem opponi sit opus sed judex supplet et si non oppo-
nuntur.

III.

Pacta etiam in continentia adjecta stricti juris judicijs
non insunt nisi saltem ex parte rei.

IV.

Adulter^m in adulterio deprehensus datam pecu-
niā repetrere potest.

V.

Créditor pecuniam debitam per vim exigēns crediti
jus amittit.

ALBER-

ALBERTE, claro qui patri es cognominis,
Mei favoris ergo, faustiq; ominis
Carmen rogas. sed æstuante firio
Vena omnis ac omnis lepos exaruit.
Quid? ne nihil feras, iambos hos malos,
Bono ast ab affectu profectos, accipe.

Dum nuptias pater secundas cogitat,
(Jovæ suprema quas secudent numina)
De nuptiarum jure natus disputat,
Objectionum sustinens examina.

Quæ nuptiarum tanta cura? filius
Fecisse quod rectè parentem conspicit,
Ut ritè quondam moliatur, dispicit.

ALBERTUS ALBERTI premit vestigia;
Spes est, fore ut teneat honorum culmina.
Tandem, quæ avi patrisq; scandit gloria.
Huc tendat, hic sudet, monebo sedulò, &
Hanc mémentem ei dum grator, hanc sortem precōr.

Johannes Tarnovius
S. S. Th. Doct. & Prof.



A
G
A
V
Q
B
C
D
O
E
F
G
H
I
J
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
U
V
W
X
Y
Z

Universitätsbibliothek Rostock



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730873501/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730873501/phys_0020)

DFG

ALBERTE, claro qui pat
Mei favoris ergo, faust
Carmen rogas. sed æstuante
Vena omnis ac omnis lepos
Quid? ne nihil feras, iamb
Bono ast ab affectu profect

Dum nuptias pater sec
(Jovæ suprema quas secund
De nuptiarum jure natus dis
Objectionum sustinens exan

Quæ nuptiarum tanta
Fecisse quod recte parentem
Ut ritè quondam moliatur,

ALBERTUS ALBERTI pr
Spes est, fore ut teneat hon
Tandem, quæ avi patrisq; so
Huc tendat, hic sudet, mon
Hanc mémentem ei dum grato

Jo

minis,

s,
at,
)

,
na
.
&
em precor.

Tarnovius
Doct. & Prof.




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. [redacted]